

Nulla potest natio esse sine bobus. Vegetius' De curis boum

Prologus

Mulomedicinae me commentarios ordinante civium atque amicorum frequens querela accepti operis continuationem suspendit, deflentium aegritudines mortisque damnosissimas boum, cum magnopere peterent publicandum, si quid pro salute tam commodorum animalium scriptum reperiretur in libris. 2. Cedens itaque familiarium honestissimae voluntati ex diversis auctoribus enucleata collegi pedestrique sermone in libellum parvissimum contuli; cuius erit praecipua felicitas, si eum nec scholasticus fastidiat et bubulcus intelligat. 3. Maximo autem incitamento mihi fuit ipsorum boum utilitas et gratia, sine quibus nec terra excoli nec humanum genus sustentari ullatenus poterunt. Cuncta igitur legumina sive frumenta bobus merito aratrisque debentur; vinearum ipsarum usus periret, nisi eorum adminiculis subvehendis carpenta sudarent. 4. Quid de diversorum onerum comparatione referamus, dum et inter mobilia quidquid gravius est absque vehiculis paene reddatur immobile? Reliqua quoque animalia ipsaeque cohortales aves ex eorum capiunt labore substantiam. Unde enim equis hordeum, unde cibum canibus, unde porcis pabulum dominorum sollertia ministraret, ni pararentur boum labore frumenta? 5. Et ne longum faciam, bobus debent alimenta, quidquid ali potest. Apud alios genus mulorum, apud alios camelorum, apud paucos elephantorum licet exiguus usus est: nulla potest natio esse sine bobus. 6. Postremo, ut ad providentissimorum virorum scripta redeamus, quorum firmatur auctoritate Iustitiam iumentorum caede violatam derelictis terris ad siderum remeasse consortium: quid potest laudabilius reperiri, quam ut numen aequissimum boum fugaretur interitu, quod, dum homicidia fierent, permanebat in terris? Duplicem igitur sollicitudinem oportet impendi, ut sanitas incorrupta permaneat et aegritudo, quae ex casu vel negligentia sive labore contracta est, competentis medicinae curetur ratione.

Literatur (Auswahl)

- J. N. Adams, *Pelagonius and Latin Veterinary Terminology in the Roman Empire*. Leiden / New York 1995
- M. Aprile, L'ippiatria tra l'Antichità e il Medio Evo. La trasmissione dei testi, in V. Ortoleva / M. R. Petringa (Hrsg.), *La veterinaria antica e medievale. Testi greci, latini, arabi e romani*, Atti del II Convegno Internazionale Catania, 3–5 ottobre 2007, Lugano 2009, 323–88
- M.-Th. Cam, *Mulomedicinae me commentarios ordinantem ... Vègèce et l'organisation du savoir vétérinaire*, *Schedae* 2 (2009), 33-43
- T. Fögen, *Wissen, Kommunikation und Selbstdarstellung. Zur Struktur und Charakteristik römischer Fachtexte der frühen Kaiserzeit*, München 2009
- E. Lommatzsch (Hrsg.), *Vegeti Renati digestorum artis mulomedicinae libri. Accedit Gargili Martialis de curis boum fragmentum*, edidit Ernstus Lommatzsch, Leipzig 1903
- V. Ortoleva, *La tradizione manoscritta della Mulomedicina di Publio Vegezio Renato*, Acireale 1996
- V. Ortoleva (Hrsg.), *Publii Vegeti Renati Digesta artis mulomedicalis liber primus*. Introduzione, testo critico e commentario a cura di Vincenzo Ortoleva, Catania 1999
- J. Peters, *Römische Tierhaltung und Tierzucht. Eine Synthese aus archäozoologischer Untersuchung und schriftlich-bildlicher Überlieferung*, Rahden 1998
- R. H. Rodgers, *Cattle, Horses and Other Livestock: Textual Notes on Columella, Books 6 and 7*, *Rivista di Cultura Classica e Medioevale* 51 (2009), 99–139
- L. Iuni Moderati Columellae *Res rustica. Incerti auctoris liber de arboribus*. Recognovit brevique adnotatione critica instruxit R. H. Rodgers, Oxonii 2010
- A. von den Driesch / J. Peters, *Geschichte der Tiermedizin. 500 Jahre Tierheilkunde*, 2. Auflage, Stuttgart 2003
- M. Zaffagno, *I prologi della Mulomedicina di Vegezio*, in *Prefazioni, prologhi, proemi di opere tecnico-scientifiche latine*, a cura di C. Santini e N. Scivoletto, 1, Roma 1990, 257–29

Colum. 6, 13, 2 (ed. R. H. Rodgers)

2. *Est et infesta pestis bubulo pecori (coriaginem rustici appellant) cum pellis ita tergori adhaeret ut adpressa manibus diduci a costis non possit. Ea res non aliter accidit quam si bos aut ex languore aliquo ad maciem perductus est aut sudans in opere faciendo refrixit aut si sub onere pluuia madefactus est.*

3. *Quae quoniam perniciosa sunt, custodiendum est ut cum ab opere boues redierint, adhuc aestuantes anhelantesque uino aspergantur et offae adipis faucibus eorum inserantur.*

Quod si praedictum uitium inhaeserit, proderit decoquere laurum et ea calda fouere terga multoque oleo et uino confestim subigere ac per omnis partis adprehendere et adtrahere pellem, idque optime fit sub dio sole feruente.

Quidam fraces uino et adipi commiscent eoque medicamento post fomenta praedicta utuntur.

Veg. De curis bouum 12, De pelle adhaerente (ed. E. Lommatzsch)

1. *Infesta pestis est bubulo pecori, quam coriaginem rustici vocant, cum pellis ita dorso adhaeret, ut apprehensa manibus deduci non possit a costis: quae res non aliter accidit quam si bos aut a languore aliquo ad maciem perductus est aut sudans in opere faciendo refrixit aut si lassus sub onere vehementer infusus pluvia est.*

2. *Quae quoniam perniciosa sunt, custodire debemus, ut, cum ab opere redierint boves adhuc aestuantes anhelantesque, vino aspergantur et offulae panis infusae faucibus eorum inserantur. Quod si praedictum vitium inhaeserit, expedit decoquere laurum et e calida cum oleo et uino spinam dorsumque animalis perfricare contra pilum ac per omnes partes apprehendere et trahere pellem et velut a costis separare.* 3. *Quod aut in loco calidissimo faciendum est aut sub divo sole fervente.*

Aliquanti faeces vini et axungiae commiscent eoque medicamento tepedo post fomentum praedictum utuntur.